Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1605
Quelle:
Copyright:

merum CLI. ascendunt, adeoque ejusdem rationis cum Exemplo sunt, quod hoc *Vol.* e Codice *Dorotheano* dedi, ut *Index* commonstrat.

DCLXXXIII.

U. 103 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 398. 4. min. currente calamo non ab uno perscriptus sequentem exhibet farraginem: I. Excerpta moralia e *Petro Damiani*, *Simone de Cassia*, *Johannis Sarisberiens. Policratico*, *Joh. Balbi Catholico* &c. Nota omnia et improbe chartae adlita.

II. *fol.* 35. Lectura in *Esdram* et *Nehemiam* sequitur absque titulo cum Praefat. *Hieronymi* ad *Domnionem* et *Rogatianum*; habetur tamen ita ad calcem: *Finita sunt hec et extracta de lectura Magistri Stephani Stokkarner felicis memorie Anno domini 1437. feria 5ta post Elysabeth D. Per Magistrum Wolfgangum de Stain baccalarium in theologia.* Suspicor Interpretem nostrum latere in *Locheri Speculo Acad.* sub *M. Stephano Marquardo* (Markhart?) *de Stockerau* prave scripto, qui ad an. 1421. Scholas ad S. *Stephanum* rexit et Decanus Facult. Philosoph. fuit, Lecturamque suam praecipue e *Glossa ord.* et *Lirani Postillis* congessit. *Stockharn*, *Stochern* et nobilis olim Stirpis fuit, et hodie loci nomen est in *Austria*. Excerptor noster *Wolfgangus* ex Oppido *Stein* a. 1443. Philosophis Decanus praefuit.

III. *fol.* 123. Lecturae similes in *Epistolam Jacobi* et utramque *Petri* ab eadem manu.

IV. *fol.* 177. *Incipit prologus in Tractatum de Spirituali vita anime Magistri Johannis Gerson Cancellarij parisiensis qui alias vocatur Tractatus Sex lectionum satis vtilium.* Prologus hic dirigitur ad *Petrum de Alliaco* Ep. jam *Cameracensem*, cujus se *discipulum* adpellat Noster. Opus ipsum infit: *Ego uos baptisaui aqua* &c. *Antiqua iam atque notissima patrum erudicione* &c. et extat editionis *Amstelod.* dictae *Antverpiensis* T. III. P. I. *col.* 2. 1706. f. Adjecit in fine Scriptor: *Finitus est hic tractatus — per Magistrum Wolfgangum de Stain baccalarium in theologia anno Domini 1438uo. in die beati vigilij et sociorum eius, que fuit 6ta feria ante purificacionem beate Marie virginis, in quo quidem die narrabatur a dicentibus a Domino Andrea* (fors *de Weytra* Theologo *Vien.*) *quod die octaua Januarij declarauit Dominus Eugenius diuina prouidentia papa 4tus Concilium esse in Ferraria debere, eodemque die celebrata est, vt referebatur, prima sessio in eodem Concilio persistente tunc Concilio Basiliensi. timebatur scisma. Item 18ua Januarij translata est Curia Romana in Ferrariam, vt tunc dicebatur, regnante in Hungaria serenissimo Rege Alberto electo rege bohemie nec non duce Austrie Stirie &c. Marchioneque Morauie.*